










1732.

1. Pomati, Fraccerus Crotus : De pacto franciae.
2. Gschel, Jakob Wilhelm : De postore, quem justus.  
Latinum librum autem etiam vocans
3. Haisterius, Laurentius : De palaci palusnis instantium  
experimentis
4. Trossius, Dr. Paul : De rebus ex partibus praecipue  
Pomeraniae solentibus.
5. Kremius, Dr. Paul : De variis controversiis in  
argumento pomerianis et jurementorum.
- 6<sup>o</sup> Kremius, Dr. Paul : Te nepote ea, quae  
parus accepit, in universum conferente
- 7<sup>o</sup> Kremius, Dr. Paul : Te iure officiorum et offi-  
ciatum.
8. Frener, Gmelius Pan : De origine nominis super-  
nitionatis territorialis ex Getta a accendita.

1733.

1. Conrad; Franciscus Carolus: De pacto fiduciae
  2. Conrad; Franciscus Carolus: De nominibus Germanicis  
per se et Leken.
  3. Conrad; Franciscus Carolus: De pacto fiduciae Reg.
- et tabula II.
4. Gachet, Iohann Wilhelm, de: De capellaniis imperii  
et cancellariis.
  5. Gachet, Ioh. Wilh. de: De observantie gentium  
et imperii.
  6. Treuer, Gottlieb Jan: De perpetua amicitia Germanarum  
cum et inter et Provinciam imperium.





1732 1  
7.18.1  
354

DE  
**PACTO FIDVCIAE**  
EXERCITATIO I.

QVAM  
PRAESIDE

**D. FRANCISCO CAROLO CONRADI**  
IN ACADEMIA IVLIA PROF. PVBL. IVR.  
ORDIN.

*IN IVLEO MAIORI*

A. D. IX. AVGVTI MDCCXXXII.  
AD DISPVTA NDVM PVBLICE PROPONET

**FRIDERICVS BENEDICTVS KVBEL**  
HALBERSTADIENSIS.

HELMSTADII,  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII,  
ACAD. TYPOGR.

DE  
ALIUS LIBER QVI  
SOPHIAE VITAE

172  
PRAE

LIBER QVI  
SOPHIAE VITAE  
M. O.

LIBER QVI

SOPHIAE VITAE

LIBER QVI  
SOPHIAE VITAE

CONSPECTVS  
EXERCITATIONIS I.  
**DE PACTO FIDVCIAE**  
IN QYA VSVS HVIVS PACTI APVD ROMANOS  
IN PLERISQVE NEGOTIIS CIVILIBVS  
ILLVSTRATVR.

---

*Fiduciām pactum fuisse, non contractum, §. I.  
Pactum Fiduciæ mancipationibus adiectum.  
Fiducia neque pignoris species, neque man-  
cipatiōnis, §. II.*  
*Vsus Pacti Fiduciæ Iure Gentium cognitus, lu-  
re Civili apud Romanos frequentissimus, §. III.  
Pactum Fiduciæ in Emancipatiōne liberorum  
adiectum. Mancipationum in solvenda pa-  
tria potestate necessitas unde fuerit? §. IV.  
Utilitas Pacti Fiduciæ in Emancipatiōne libe-  
rorum solenni, §. V.  
Tutela Parentum Fiduciaria, itemque Fra-  
trum, §. VI.  
Fiduciæ pactum, familie mancipationi in te-  
stamento per æs & libram additum, §. VII.  
Occasio & nomen Fideicommissorum a Fiducia,  
mancipationi familie adiecta, §. VIII.  
*Vsus Fiduciæ in aditione hereditatis per pro-  
curatorem, explosus, contra IAC. RAE-  
VARDM, §. IX.**

*Vsus*

*U*sus Fiduciæ in mancipationibus venditionis  
causa, sub lege revendendi factis, §. X.

*M*ancipationum utilitas in contractibus, qui  
ad translationem dominii regulariter non  
tendunt : speciatim vero in locatione con-  
ductione, §. XI.

*C*OLVMBARIA emancipata, i. e. OLLARIA, §. XII.  
*M*ancipatio fiduciaria locationis conductionis  
causa facta. Inde MANCIPIS & REDEM-  
PTORIS nomina, §. XIII.

*M*ancipationis fiduciariæ usus in mandato de  
re alteri mancipanda, removetur, §. XIV.

*U*sus Fiduciæ in deposito, §. XV.

*U*sus Fiduciariæ mancipationis in pignore  
frequentissimus. Inde FIDUCIA dicta pro  
pignore mancipato, §. XVI.

*C*reditor per mancipationem statim pignoris  
fiduciarii dominus factus, §. XVII.

*D*ifferentiae inter pignus nudum & sub Fidu-  
cia mancipatum : & in quibus utrumque  
pignus convenerit? §. XVIII.

*A*cquisita per servum fiduciarium quatenus  
sortem debiti minuerint? §. XIX.

*F*iducia, i. e. pignus fiduciatum, ab Hypotheca  
& a lege commissoria pignorum quomodo se-  
cernenda? §. XX.

*U*sus pacti Fiduciæ in Cessione in Iure vindica-  
tur, §. XXI.

ILLVSTRISSIMO  
EXCELSISSIMO DOMINO,  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
**SAMVELI DE COCCEII,**  
POTENTISSIMI PRVSSORVM REGIS IN-  
TIMO STAVS MINISTRO, CONSISTORII  
ATQVE SVMMI PROVOCATIONVM IVDICII  
PRAESIDI, REI ECCLESIASTICAE DIRE-  
CTORI, ACADEMIARVM REGIARVM  
SVPREMO CVRATORI,

PERPETVAM FELICITATEM.



ILLVSTRISSIME  
ATQVE  
EXCELLENTISSIME DOMINE,  
EXCELENTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
SVMPTUOSO COCCHI  
POTENTISSIMI TRASOLVM REIE IN  
LIMONATA VAS MINISTER CONSISTORII  
ALDUS MANUTENSI STOCASIDY M LUDIC  
AEGIDIUS REI TECLESIS CICAV DIRI  
COSMI AVDPIMVRVM REGIVRVM  
SARTIMO CARATORE



IDVCIAM ad TE  
defero, antiquis Ro-  
manis sanctam & in-  
violabilem pariter ac  
Fidem, quæ illi no-  
men dedit, semper habitam, ideo-  
que

que cultam in tot negotiis civili-  
bus, in quibus mancipations sub  
lege remancipandi, utilitatis civilis  
causa, interponerentur. Nulla id  
ausim studiorum qualiumcunque  
meorum inepta confidentia, sed so-  
la Gratiæ TVAE, DOMINE,  
illiusque Tutelæ sacræ, in quam  
bonas Litteras earumque cultores  
iam pridem recepisti, fiducia fre-  
tus. Quare ut benigno vultu re-  
spicere hoc venerationis in TE  
meæ monimentum, atque inter  
devotissimos clientes locum ali-  
quem indulgere mihi velis, demis-  
se rogo, simulque votum conci-  
pio, ut D E V S T E Ecclesiæ,  
Reipublicæ, & communi Littera-  
rum bono in multos annos sospitem  
atque

atque incolumem servet. Hoc  
DEVM immortalem puris sanctis-  
que precibus orabo semper,

ILLVSTRISSIMO NOMINI  
TVO

FRIDERICVS BENEDICTVS KVBEL.  
devotissimus



DE  
PACTO FIDVCIAE  
EXERCITATIO I.

§. I.

**I**nter antiquos negotiorum contrahendorum ritus **FIDU-**  
eminet **PACTVM FIDVCIAE**, cui fides de resti- **CIA,**  
tuendis rebus alteri mancipis interposita & no- **pactum,**  
men apud Romanos dedit, & solennem formulam <sup>non con-</sup>  
praescripsit. Omnino enim, cum IAC. CVIACIO, a)  
IAC. OISELIO b) & SAM. PVFENDORFIO, c)  
Fiduciam **pactum**, non, quod plerisque Viris doctis vi-  
detur, **contractum** dicendam esse, d) existimo. Neque  
in contrarium movent, qua V. CL. ANT. SCHVL-  
TINGIVS obiicit: Si Fiducia non nisi **pactum** fuerit,  
quomodo inde nasci potuerit certa & nominata **Actio**,

A

iudi-

a) Ad §. 8. *Instit. de legit. Adgnat. success. in not.*

b) Ad CAII *Instit. Lib. I. tit. VI. §. 3.*

c) *De Iure Nat. & Gent. Lib. V. cap. 10. §. 8.*

d) Ita sentiunt, HOTMANVS ad diçt. §. 8. I. de leg. Adgn.  
succ. quem dissentendi a CVIACIO perpetua libidine eo

deductum, OISELIUS l.c. ait, SIGONIUS de *Iudicis Lib.*

I. c. 5. IAC. GOTHOFREDVS ad Lun. C. Th. de *Commis-*  
*for. rescind. SCHVLTINGIVS Iurisprud. Ante-Justin.*  
pag. 55.

## 2 DE PACTO FIDUCIAE

*iudicium, formula Fiduciae?* quorum tamen CICERO variis locis, a) & *Fiduciae iudicij* HERENNIVS MODESTINVS meminit: b) quippe hunc serupulum eximet, quam infra investigabimus, huius Actionis origo. Admodum vero infirma est ratio, inde ducta, quod *contracta Fiducia*, in §. 8. I. de legit. *Adgnat. success. l. 2. §. 15. D. ad SC. Tertull. & Orphitian.* & alibi, dicitur: cum latius pateat *contrahendi* verbum, quam, ut *contractum* proprie dictum, i. e. conventionem, habentem certum nomen vel civilem causam, semper significet. c)

## §. II.

*Pactum Fiduciae mancipatio adiectum. Fiducia neque ignoris species, neque mancipatio.*

Etenim ipse usus Fiduciae, olim apud Romanos longe plurimus, & se per varios Iuris articulos diffundens, certius ostender, eam fuisse pactum accessorium, quo *res alicui*, ob rationem aliquam singulariem, ea lege mancipabatur, ut mancipanti eam remanciparet: quem in modum Fiduciam contrahi, atque hanc mancipationem fiduciariam nominari idcirco, quod *restituendi fides* d) interponeretur, BOETHIVS

- 
- a) *De Officis Lib. III. c. 15. & 17. Orat. pro Rosc. Comoed. c. 6. Pro Caciq. c. 3. Epistolar. famil. Lib. VII. epist. 12.*
  - b) *Lib. II. Differentiarum, apud Auctorem Collationis Legum Mosaic. & Roman. tit. X.*
  - c) Sic enim dicitur *contrahi* quodcumque *negotium, obligatio, res, nuptiae, matrimonium, donatio, culpa, crimen, delictum*, quarum locutionum exempla copiose relata vid. apud ERISSONIVM de Verb. Signif. v. *contrahere*. Et, ut PAVLVS ait l. 20. D. de Iudic. *Omnis obligatio pro contractu accepitur, ut, ubincunque aliquis obligetur, & contrahere videatur*. Add. CORN. VAN ECK tit. D. de Pact. §. 17.
  - d) Hæc enim propria est huius verbi significatio, ut *Fiducia* notet legem sive conditionem *restituendi*, sub cuius *fide* res alteri traditur: πενοθητι temporariam IAC. GOTHOFREDVS l. c. explicat. Ita LIVIVS Lib. XXXII. c. 38. *fiducia-*

## EXERCITATIO I.

3

**T**HIVS a) indicat. Itaque genuinum Fiduciae intellectum haud parum turbarunt Viri docti, quod eam putarunt fuisse contractum singularem &, quod præterea nonnullis visum, pignoris speciem. b) Frustra quoque

A 2

que

dūciariam dare, ut viator sibi restituere. Et **HIRTIVS de bell. Alex. c. 23.** eodem sensu fiduciariū regnum, **CVR-**  
**TIIVS lib. V. c. 9.** fiduciariū imperium dixerunt. **CAESAR quoque de bell. civ. Lib. II. c. 17.** Logati fiduciariam operam vocat. Quare non affectū sunt vim nominis **DES.** **HE-**  
**RALDV S Obf. & Emend. cap. 8. & CL. SALMASIVS Mi-**  
**cell. defens. de observ. ad Ius Att. & Rom. c. 18. in l. 5. C.** de Iudic. pro iudicario munere emendantes fiduciario, dum ille fiduciariū interpretatur, quod quis non suo iure, sed alieno beneficio & loco alterius habet, hic vero fiduciā proprie hypotheca nexum, translate omne id, quod ab altero, a quo fidei alicuius commissum est, dependet ei- que obnoxium est, fiduciū & fiduciariā rem dici, affir- mat. Receptam d. l. 5. lectionem luculenter exposuit **GER.** **NOODT,** de Iurisdict. & Imp. Lib. II. c. n. ut nemo sit probaturus emendationem. **SALMASIVM** vero alibi quoque, in confusat. thes. de mutuo, Fiducie nominis vim non perfexisse, & rationem eius inanem reddidisse, quia credi- tor fiduciā capiat recipienda pecunia sua, notat supra laudatus **GOTHOFREDVS.** l. c.

- a) *Commentar. in CIC. Top. IV.*  
 b) *Ita visum CVIACIO ad PAVLI Sent. Recep. Lib. II. tit. 13.*  
**ANT. FABRO** de Errorib. Pragmatic. decad. XXI. err. 1.  
**IAC. GOTHOFREDO** ad l. un. C. Th. de Commissor. refc.  
**CL. SALMASIO** de modo usur. c. 13. qui Fiduciae nomen de utroque, & de pignore in specie dicto, & de fiducia, i. e. hypotheca rei immobilis, ut ipse interpretatur, aliquando ponit apud **PAVLVM, CICERONEM & MODESTINVM,** putat, eumque sequitur **ARN. VINNIUS** Commentar. ad *Infl. tit. de Action. §. 7. n. 12.* Fiduciā tanquam pignoriū speciem describunt quoque **IAC. GVTHERIVS** de *Iure Man.* Lib. III. c. 2. 10. **STRAVCH.** de oppignor. rer. Imp. c. 1. §. 3. & c. 2. §. 5. **SCHILTER** de *Iure Objidum*, c. 4. §. 3. & de pacto retrovend. c. 1.



#### DE PACTO FIDUCIAE

4

que alii, Fiduciam esse mancipationis speciem, statuunt, in qua opinione fuerunt IAC. RAEVARDVS, a) BARN. BRISSONIVS b) & GASP. SCHIFORDEGHERRVS, c) quos vel id unum refellit, quod Fiducia etiam cessioni in iure addita esse perhibetur: neque hoc mancipationis genus ipsam esse *Fiduciam*, sed *mancipationem fiduciariam* dici, BOETHIVS auctor est.

#### §. III.

*Vfus pa-  
tri Fidu-  
cia Iure  
Gentium  
cognitus:  
Iure Ci-  
vili fre-  
quentissi-  
mus.*

Pactum de restituenda re, amico propter necessitatem quandam tradita, Iure Gentium non incognitum, eiusque usum in traditionibus, custodia ac veluti depositi causa factis, comprobant exempla, quæ congesfit PVFENDORFIVS: d) quibus addendum est, quod in mortis causa donationibus etiam, cum quis immi-

nen-

- 
- a) *De Autoritate Prudentum, cap. 5.*
  - b) *De Verborum Significat. v. Fiducia.*
  - c) *Disput. Forens. ad ANT. FABRVM, Lib. III. tract. 13. qu. 1. §. 2.*
  - d) *De Iure Nat. & Gent. Lib. V. c. 10. §. 8.* Apud LIVIVM lib. XXXII. c. 38. Philippus cum acie decernendum videret, & undique ad se contrahendas vires, maxime de Achaeis urbibus, regionis abs se diverse, & magis tamen de Argis, quam de Corintho sollicitus, optimum ratus Nabidi eam Lacedemoniorum tyramon velut fiduciariam dare, ut victori sibi restiteret: si quid adversi accidisset, ipse haberet. Apud CVRTIVM lib. V. c. 9. Nabarzanes Dario suadet, ut ipse temporis gratia regnum in Bestium transferat. *Compositis rebus*, inquit, iusto Regi tibi fiduciarium restituet imperium. Apud DIODORVM SICVLVM lib. IV. Biblioth. histor. c. 33. Herculæ, Sparta vi subacta, Tyndarum, Diolcurorum patrem, in regnum reduxit, quod, ut hæta partum, hac conditione fidei eius depositi loco permisit, ut Herculis illud libertis sartum tectumque conservaret. Sic apud PAVLVM WARNEFRIDVM de gestis Longobard. lib. II. c. 7. Alboinus Pannioniam amicis suis Hunnis contribuit, eo scilicet ordine, ut, si quo tempore Langobardis necesse esset reverti, sua rursum arva repetirent.

## EXERCITATIO I.

5

nente periculo commotus ita donat, ut statim fiat accipientis, pactum hoc intervenire animadvertisimus, ut si supervixisset, qui donavit, reciperet, vel si eum donationis penitusset, aut prior decesserit is, cui donatum sit. Sic enim apud HOMERVM, a) eius iuris, quod usu exigente & humanis necessitatibus naturalis ratio suggerit, optimum interpretem, Telemachus donans Pirao, legem restituendi his verbis dicit :

*Ei δέ οὐ ἔγω τούτοις Φόνον καὶ κῆρα Φυτέντω,  
Δὴ τότε μοι χάρισσι φέγειν πέρος δώματα χαίρων.*

*Sin ego bis cædem & mortem patravero,*

*Tunc mibi gaudenti restituto ad domus gaudens.*

Romanis autem singularem huius pacti usum attulit mancipationum earum, quæ citra animum in perpetuum res abalienandi pluribus in negotiis fierent, ob rationes Iuris Civilis interiores, maxima frequentia.

## §. IV.

Quis nescit Fiduciam in emancipatione liberorum antiqua illa & solenni adhibitam, primis quoque Iustiniānis b) haud ignotam? Iuvat tamen eius rationes, ad explicandam hūius pacti naturam, paulo accuratius intueri. Mancipationum origo & necessitas, in ista potestatis patriæ solenni resolutione, repetenda est a Lege ROMVLI, quæ patria terna venditione filii pecuniam querere permisit, c) postea in XII. Tabulas translata, tabula quarta, filium ter mancipatum terque manumissum sui iuris fieri iussit. Verba legis VLPIANVS d) nobis servavit: *SI PATER FILIVM TER VENVM DVIT,*

A 3

FILIVS

Pactum  
Fiducia  
in Emanci-  
catione  
adiectionum.  
Manci-  
pationum  
in solven-  
da patria  
potestate  
necessitas,  
unde?

a) *Odyssæ P. v. 82. §. i. Inst. de Donationib. & L. i. D. de mort. cauf. donat.* Vid. EV. FEITHII *Antiquitatum Homerica- rum Lib. II. cap. ii.*

b) *Ex §. 8. Inst. de legit. Adgnator. success.*

c) *DIONYSIVS HALICARN. Lib. II. c. 28.*

d) *Fragment. Tit. X. §. i.*

FILIVS A PATRE LIBER ESTO. Et lex quidem de veris venditionibus sensit, non imaginariis, prout eam recte accepisse DIONYSIVM HALICARNASSEVM, contra dubitationes HIER. ALEANDRIA a) & argumenta IAC. GOTHOFREDI b) solide demonstrat SCHVLTINGVS. c) Prudentum vero solertia & commentis hoc repertum fuit, d) ut umbra quadam satisficeret legi &, pro tribus veris, tortidem imaginaria venditiones & manumissiones substituerentur, quibus filius fam. exiret e patria potestate, in imaginariam servilem causam deductus. e) Cumque de ceteris liberis, praeter filium, lex non cavisset, nec tamen pateretur ratio iuris, ut absque ulla venditione ac manumissione a parentum potestate quis liberaretur, visum fuit Prudentibus, una mancipatione ac manumissione in filiabus & nepotibus solennitatem iuris expleri posse. f)

## §. V.

*Vtilitas pacti Fi-*  
Cum itaque mancipationes illæ, non vere vendendi filium atque in alienam familiam & potestatem transferen-

- 
- a) *Ad CAII Inst. Lib. I. Tit. VI. §. 6.*
  - b) *In notis ad Leges XII. Tabb. tab. IV.*
  - c) *Ad VLPIANI loc. cit. in Iurisprud. Ante-Iustin. p. 592.*  
Confer. CORN. VAN BYNKERSHOEK, *de iure occid. lib. c. 1.*
  - d) Postquam moratus ætas Philosophiam Iurisprudentiae coniunxerat atque displicere coeperaat antiquus ille patriæ potestatis rigor, imprimit vero ab ætate Imp. Adriani & deinceps. FRANC. CONNANVS *Commentar. Iur. Civ. Lib. II. c. 13. n. 4.* BYNKERSHOEK *loc. cit. c. 6.*
  - e) *PAVLVS in L. 3. §. 1. D. de cap. min. THEOPHILVS in Paraphras ad §. 6. Inst. quib. mod. ius patr. pot. solv.*
  - f) *VLPIANVS L. 8. §. 1. D. de iniust. rupt. irrit. fact. testam. & Fragmentor. Tit. X. §. 1. CAIVS Inst. Lib. I. Tit. VI. §. 3.*  
Conf. CONNANVS, *Commentar. Iur. Civ. Lib. II. c. 14. n. 5.*  
ubi in causas huius diversitatis inquirit. IAC. GOTHOFREDVS *ad Legg. XII. Tabb. probatum. tab. IV. & SCHVLTING. Iurisprud. Ante-Iustin. p. 59. & p. 592.*

ferendi, sed potius a patria potestate solvendi & hominem sui iuris efficiendi consilio susciperentur: adornanda erat scena, in qua comparebat emptor quidam imaginarius, qui filium a patre naturali festertio nummo uno ducia in Emancipatione solenni. ter emebat, emtumque, servi more circumductum & colapho percussum, ter manumittebat: a) quarum manumissionum prima atque secunda filius recidebat in patriam potestatem, tertia demum illam evadebat, quæ proinde utrum a patre, an ab emptore filii familias fieret, plurimum intererat, propter iura patronatus & in his commodum legitimæ successionis obtinendum. b) Hæc igitur sibi qualiterus pater, opus habebat Fiducia pacto, quod tertia filii mancipationi addebatur plerumque, ut emptor filium remanciparet, quo ipse pater eum manumitteret potius, quam emptor. Secundum Fiducia solennem formulam pater naturalis dicebat: EGO VERO HVNC FILIVM MEVM TIBI MANCVPO, EA CONDITIONE, VT MIHI REMANCVPES, VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, NE PROPTER TE TVAMVE FIDEM FRAVDER. Et hinc emptorem istum, patrem fiduciarium, c) & filiam, contracta Fiducia emancipatam, fiduciata m) vocavit CAII epitorum ANIANVS.

## §. VI.

Iure patronatus quoque manumissoribus deferebatur libertorum impuberum legitima tutela. Et hanc in liberis nanciscetur pater emancipans, & manumis-

Tutela Paren-  
tum fidu-  
num

- a) *L. ult. C. de emancipat. liber. Nov. LXXXVI. pref. CAIVS Inst. Lib. I. Tit. VI. §. 3. sed ab ANIANO varie corruptus & interpolatus. Vid. SCHVLTING. Iurisprud. Ante-Justin. p. 56.*
- b) *§. 8. Inst. de legit. Adgnat. success. CAIVS I. c. Conf. 10. CORASIVS Mijcell. Iur. Civ. Lib. VI. c. 9.*
- c) *In CAII Inst. Lib. I. Tit. VI. §. 3. sèpius. Vid. ibi SCHVLTING. p. 55.*
- d) *Interpretation. L. 3. C. Theod. de legitim. hereditatib.*

ciaria,  
itemque  
Fratrum.

numissoris personam gerens, a) interveniente Fiducia.  
Qui, inquit VLPIANVS, b) liberum caput, mancipatum sibi vel a parente, vel a coëmptore, manumisit, per similitudinem patroni tutor efficitur, qui fiduciarius tutor appellatur. c) Ergo parentum tutela proprie dicebatur fiduciaria : quæ tamen, ad exemplum tutela patronorum, ut legitima vocaretur, moribus receptum est: alibi vero vicem legitimis tutoris sustinere pater dicitur ab VLPIANO. d) Sed ab illo ipso Fiducia pacto appellata est fiduciaria tutela, quæ liberis emancipatoris referebatur post ipsius mortem: e) quia, sicut patronorum liberi post parentum suorum mortem legitimis siebant libertorum tutores, ita patre emancipatore mortuo, propter hanc ipsam Fiduciam causam, qua ille tutor fuerat, tutela in filios perfecta transfusat. Quoniam tamen hi non essent heredes legitimis, & semper ab hereditate ad tutelam argumentum duceretur, satis apparebat, quare non potuerint legitimis tutores vocari, ideoque fiduciarii nominandi fuerint, qui non essent tales, sed qui in locum fiduciarii tutoris suc-

- a) Vnde & pater filium manu emittere, ut est apud SVETO-NIVM, Vitell. c. 6. & manumittere, tit. Inst. de fiduciari. tut. & tit. D. se par quis manum. sit, l. 5. C. de dolo. avus ne- potem manumittere, l. 28. D. de adopt. dicebatur.
- b) Fragment. Tit. XI. §. 5.
- c) Ex eo, quod plerumque pater emanciparet liberos contracta Fiducia. Nec enim, si extraneus, qui coëmptor hoc loco dicitur, filium alienum sibi venditum sine Fiducia manumisiteret, is fiduciariam proprie tutelam habebat, quod quidem vult CVIACIVS Paratitl. tit. C. de legit. tut. vid. SCHVL-TING. ad loc. cit. VLPIANI, p. 595.
- d) L. 3. §. 10. D. de legit. tutor. quia non, ut patronis, sic paren-tibus nominatin lege referebatur hereditas. CVIACIVS ad VLPIAN. Fr. Tit. XI. §. 5.
- e) MODESTINVS L. 4. D. de legit. tutor. Tit. Inst. de Fidu-ciaria tutela, ibique IAN. A COSTA.

## EXERCITATIO I.

9

successissent. Novimus, aliam causam differentiarum inter patronorum & parentum liberos tradere IMPERATORREM, eiusque interpretem THEOPHILVM: at merito praeferimus illam, quam CVIACIVS a) expedivit, rationem IYSTINIANI ostendens esse subtiliorem, quam veriorem.

## §. VII.

Proximum locum dabimus illi Fiduciaꝝ pacto, quod, in testamento per as & libram, familiaꝝ mancipationi accessisse animadvertisimus. Quamvis enim admodum supine dixerit ALEANDER ad CAII Institutiones, b) mancipatio-  
heredem fiduciarium appellatum fuisse, qui hereditatem in-  
tendebat, ut restitueret heredi, quem testator in tabulis  
scripsisset, qui potius familiaꝝ emptor semper dicitur, c) te-  
stamen-  
cum fiduciarius heres sit, qui fideicommissio est onera-  
to per as  
tibus: d) revera tamen emptor ille fuit fiduciarius, dum  
imaginaria patrimonii venditioni lex addebat, ut is,  
qui in tabulis clausis heres scriptus esset, post mortem  
testatoris bona consequeretur, adeoque interpositum  
fuerit pactum Fiduciaꝝ de restituendo, quod familiaꝝ em-  
ptor dicas causa emerat, defuncti patrimonio. e) Quem  
ritum quidem mere Romanum non intelligens Philosop-  
phus Græcus, PLVTARCHVS, f) alienum censebat  
a ratione, quando aliis scriberetur heres, alias emeret  
bona, ceu præclare ostendit Vir doctissimus EV. OTTO  
in Iurisprudentia symbolica. g) Etenim propter faculta-

Fiduciaꝝ  
pactum,  
familiaꝝ  
mancipa-  
tioni in  
testamen-  
to per as  
& librum  
additum.

B tem

a) Ad VLPIANI Fragment. Tit. XI. §. 5.

b) Ad CAII Inst. Lib. I. Tit. VI. §. 3.

c) §. 1. Inst. de Testamento ordinand. & apud THEOPHILVM  
ibidem, & VLPIANVM, Fragment. Tit. XX. §. 8.

d) L. 46. §. 67. §. ult. D. ad SC. Trebellian.

e) Et quidem, ut FRANC. BROEVS coniicuit, in Exposit. Inst.  
ad §. 10. de Testam. ord. etiam de restituenda hereditate ipsi  
testatori, si is postea testamentum revocasset.

f) De sera Numinis vindicta, c. 6.

g) Exercit. I. c. 18.

tem testandi latissimam in XII. Tabulis patrifam. datam invenerunt Iurisconsulti modum testandi extra comitia, per familiæ emancipationem, a) tanquam per conventionem & traditionem, cum alienatio bonorum non nisi a vivis fieri posse videretur. b) Hinc, ut moribus antiquis res omnis perageretur, adhibitæ mancipationum solennitates, libripens, & familia emptor, & non minus quam quinque testes, cum quibus testamenti factio esset. c) Et initio quidem ipse heres futurus familiam emebat, quod non solum THEOPHILVS bis d) uno loco diserte perhibet, & intelligere licet ex dictis IMPERATORIS, in §. X. Inst. de Testament. Ordinand. e) sed etiam, spectata illa ratione, quam Iurisconsultis modum faciendi heredem per mancipationem suggestisse diximus, prorsus confirmatur, ut iniuriam faciant THEOPHILO

a) GELLIUS Noct. Att. Lib. XV. c. 27. Occasione Legis Decemvitalis in tabula VI. scriptæ: QVM NEXVM FACIET MANCIPIVM. QVE, VTI LINGVA NVNCVPASSIT, ITA IUS ESTO. Lex enim mancipationis vocabulo omnem alienationem rerum mancipi significare videbatur, l. 48. D. de pac. l. 29. §. 1. D. de statutib. & CICERO quoque lib. I. de Orat. c. 57. verba: VTI LINGVA NVNCVPASSIT, ad testamentariam causam retulit. Imo ipsa testamenti per æs & libram conditi forma hoc ostendit: Nam, ut inquit VPIANVS Tit. XX. §. 9. in eo duæ res aguntur, familiæ mancipatio & nuncupatio testamenti: Et ipsa nuncupationis formula: HAEC VTI IN HIS TABVLIS CERISVE SCRIPTA SVNT, ITA DO, ITA LEGO, ITA TESTOR: ITAQVE VOS, QVIRITES, TESTIMONIVM PRAEBITOTE.

b) Vid. THOMAS. Diff. de primis inititis success. testam. §. 33.

c) VPIANVS Fragment. Tit. XX. §. 2. QVINCTILIANVS Declam. CCCVIII. ISIDORVS Orig. IV. 24. CLEMENS ALEX. Strom. V.

d) Paraphr. Tit. de Testam. ordin. §. 1.

e) Verbis, Heredi, qui imaginem vetustissimi familia empiris obtinet, collatis cum initio huius paragraphi.

## EXERCITATIO I.

II

**PHILO**, qui nugas ei & fabulas exprobrare audent. a)  
 At progreſſu temporis, ubi mores Romanorum ab illa  
 veterum simplicitate defecerant, experimentis consti-  
 tit, eam rem testatori pariter ac heredi periculosaſ eſ-  
 ſe, propter infidias heredipetarum, atque præterea cau-  
 ſam odii in testatorem, invidia in heredem, legitimis  
 ſucceſſoribus præbere. Itaque communis utilitatis gra-  
 tia receptum eſt, ut familiæ emptor ab herede diverſus,  
 ceu manceps fiduciarius, ſubornaretur, qui dicis cauſa  
 patrimonium testatoris per ſymbolum aliquod repræ-  
 ſentatum uno nummo emeret, morruo autem testato-  
 re, heredi in tabulis ſcripto, remaniciparet, ſicut **ARN.**  
**VINNIUS** b) & **EV. OTTO** c) omnia luculenter ex-  
 pli carunt. Recentioris iuris exemplum eſt in Domitio,  
 qui in testamento Auguſti familiæ pecuniæque emptor  
 fuit, parum tamen de hereditate accepit, ne ſextula  
 quidem aperius. d)

## §. VIII.

Fallor autem, an fideicommissis ea res occaſionem  
 præbuit, ut, quaꝝ alias mutuo conſenſu mancipatiōni-  
 bus adiiceretur conditio reſtituendi, ea testatoris volun-  
 tate imponeretur heredi ſcripto: e) cuius tamen con-  
 ſenſus qua non acceſſiſſeret, tum verbiſ opus erat pre-  
 cariis, tum vero, qua nemo invitus cogebatur præ-  
 ſtare id, de quo rogaſt fuerat, minor exiſtebat huius

B 2

fidu-

*Occaſio &  
nomen Fi-  
deicom-  
miſſorum  
a Fiducia  
mancipa-  
tioni fa-  
milie ad-  
iecta.*

- a) Quamvis habeant patrocinantes, **HOTMANVM** ad ſ. i. I. de  
*teſtam. ordin. HVBERVUM* Digeſſion. Lib. IV. c. 31. ſ. 2. f.  
 THOMASIVM diſſ. diſſ. ſ. 16.
- b) *Comment. ad ſ. i. Inſt. de Teſtam. ord. n. 3.*
- c) *De Iurisprudentia Symbolica, Exercit. I. c. 18.*
- d) **SVETONIVS** *Neron. c. 4.*
- e) Ita quoque viſum **IO. CORASIO**, *Miſcell. Iur. Civ. Lib. VI.*  
*c. 9. n. 4.* **FRANC. CONNANO**, *Comment. Iur. Civ. Lib. VII.*  
*c. 4. n. 2.* **IAC. GOTHOFREDO** ad *L. un. Cod. Theod. de*  
*Commiſſor. refind.*

fiducia in herede scripto collocata, quam inter vivos mutua voluntate contracta efficacia: inde fideicommis-  
sa primis temporibus nullo iuris vinculo, sed tantum pudore eorum, qui rogati essent, & religione continebantur. Religiosi enim *sanctique hominis erat, tueri fideicommisa*, ut SENECA dixit. a) Verum si rogatus non agnosceret honestatem naturalem, aut se rogatum negaret, ut Sextilius Rufus apud CICERONEM, poterat id impune: quis eum redargueret? b) Quapropter D. AVGVSTVS honestati civilem obligationem addidit, atque precariam fiduciam convertit in necessitatem, & fideicommissa, quæ inter exempla probitatis & perfidiæ antea fluctuarunt, assidua iurisdictioni subiecit: c) inde, postquam fideicommissa iuris ordinarii facta, *beredis fiduciarii* d) & *hereditatis fiduciariæ* e) appellationes in iure quoque obveniunt.

## §. IX.

*Vsus Fi-  
ducia, in  
aditione  
hereditati  
per  
procura-  
torem, ex-  
plosus,  
contra  
RAE-  
VAR-  
DVM.*

Vsus Fiducia singularem, in aditione hereditatis per procuratorem, observare sibi visus est IAC. RAEVARDV. f) Quodsi enim alicui Romano civi, agenti Romæ, adeunda esset in provinciis hereditas, nullam ei fuisse necessitatem excurrendi in provinciam, sed potuisse eum hereditatem procuratori mancipare, sub hac remancipatiois clausula, ut hereditatem in provincia suo nomine proprio adiret procurator, aditamque eidem remanciparet: idque voluisse CICERONEM, cum ad

- 
- a) *De Tranquillitate animi, cap. XI.*
  - b) CICERO Lib. II. de Finib. c. 17.
  - c) §. 1. Inst. de Fideicommisar. hereditatib.
  - d) L. 46. §. L. 67. §. ult. D. ad S. C. Trebellian.
  - e) L. 9. §. 1. D. de rebus credit. si cert. pet. L. 46. D. ad S. C. Trebellian.
  - f) *De Auctoritate Prudentum cap. 5.*

ad Atticum scriberet: a) *Ex eo cognovi cretionem Cluvii (o Vestorium negligentem) liberam, testibus praesentibus sexaginta duobus: metuebam, ne ille arcessendus esset; nunc mittendum, ut meo iussu cernat: & alia epistola: b) Idem Pollex remittendus est, ut ille cernat.* Et ita quidem RAEVAR DVS putat solo mancipationis fiduciariæ medio adiri per procuratorem hereditatem potuisse, quæ ratione per procuratorem non adi-  
batur, aut acquirebatur, quod lege agere alieno nomi-  
ne liberum non esset: c) atque hoc pacto, arbitratur,  
componi posse controversiam inter DVARENVM &  
alios iurisconsultos non incelebres agitatam, illo affir-  
mante, quod per procuratorem acquiri possit heredi-  
tas. d) At vero sicut in explicandis obscurioribus istis  
**CICERONIS** locutionibus admodum dissentunt Viri  
Eruditæ, & **CVIACIVS**, e) contra ius esse videri, pro-  
nuntiat, quod **CICERO** scribit, se iussurum, ut Vestorius  
cerneret: ita ægre cuiquam, rem accuratius pen-  
sitanti, persuaserit RAEVAR DVS, mancipationem  
quandam sub Fiducia lege contractam hic subesse, ut-

B 3

pote

a) *Lib. XIII. epist. 46.*b) *Epist. 47.*c) **VILPIANVS** *L. 123. D. de Reg. Iur.* Scilicet hoc commune  
habebant actus legitimi cum Legis actionibus, ut per pro-  
curatorem explicari non possent. Vid. **CVIACIVS** *Observ.*  
*lib. XV. c. 16.* **HOTMANVS** *Quast. Illustr. 34.* **BRISSONIVS**  
*Antiquit. Iur. Sel. lib. IV. c. 20.*d) *Disput. amicvers. Lib. II. c. 27. & Comment. ad tit. D. de acqui-*  
*vel omitt. hered. c. 4.* Pro negativa vid. **CONTIVS** *Lib. II.*  
*subsec. lcf. c. 17.* **CVIACIVS** *Observat. Lib. I. c. 34. & cit. c.*  
*16. lib. XV.*e) *Observation. lib. IX. cap. 29.* ubi vitiosam quoque lectionem  
in verbis **CICERONIS** sequitur: *Testibus praesentibus se-*  
*xaginta duobus:* quasi non esset aliquin cretio libera, si  
spatium cretionis definitum fuisset, & quia in non libera so-  
lennes essent dies C. non pauciores.

pote cuius nec CICERO meminit, nec ratio civilis patitur, ut hereditas, nondum acquisita ab aliquo, utique herede testamentario, mancipari cuiquam adeundi causa possit. a) Itaque non melius quidem isto, quo TULLIUS interpres suos exercuit, nodo expedire nos licet, quam illa explicazione, quæ AVS. POPMAE succurrit, b) eam fuisse *cretionis liberæ* naturam, quod per alium quoque peragi recte posset, cui subscriptibit SCHVLTINGIVS, liberam cretionem istam comparans cum bonorum possessione, quæ etiam per alium obtineri potest: c) & in hanc sententiam CVIACIVS inclinat, quamvis cretionem liberam interpretari maluerit eam, quæ nullo tempore sit finita. Hoc saltem constat, mancipationem fiduciariam, hereditatis procuratorem cernendæ causâ, ex ingenio RAEVARDI enatam, non ratione iuris, nec auctoritate veterum, neque Virorum doctorum calculis probari.

## §. X.

*Vsus Fi-  
ducie in  
mancipa-  
tionibus  
venditio-  
nibus  
causa,  
sub lege  
revenden-  
di factis.*

Transimus ad contractus: ubi primo loco sese contemplandam offert mancipatio, venditionis rerum mancipi causa, sub lege revendendi & remancipandi facta. Ipsa quidem venditio, ut contractuum hoc commune est, poterat fieri sub conditione, vel in diem: mancipatio vero ita fieri neutiquam poterat, cum esset inter

- a) Ab herede legitimo *in iure cedi* poterat hereditas, antequam adita esset, VLPIANVS *Tit. XIX. §. 13.* vid. CVIACIVS *Observeat. lib. XVIII. c. ii.* Sed latius patebat cessio in iure, quam mancipatio: vid. VLPIAN. *d. t. §. ii. ibique CVIACIVS:* Ergo ab illa ad istam non procedit argumentum.
- b) *In notis ad hunc CICERONIS locum:* ubi tamen, quod existimat, etiam *per epistolam* fieri potuisse cretionem liberam, verum non videtur SCHVLTINGIO *in Iurisprud.* *Ante-Justin. p. 63.*
- c) *L. 3. §. 7. 4. 7. pr. D. de bonor. possessionib.*

inter actus legitimos, qui in totum vitiabantur, aucto-  
re PAPINIANO, a) per temporis vel conditionis ad-  
iectionem. Quamvis igitur in alienandis rebus man-  
cipi, ad transferendum earum dominium Quiritarium,  
opus esset, ut emptor eas libra mercaretur & are, per  
quam solennitatem mancipii & nexus res ipsius pro-  
pria siebat perpetuo iure, non in diem: poterat tamen  
lex remancipandi adiici per Fiducia pactum, quæ non  
faciebat, ut res videretur ad tempus mancipata, (quod  
utique fieri non poterat,) sed ut pleno & perpetuo iu-  
re mancipata esset usque ad remancipationem, oblatio  
iterum a venditore pretio, faciendam, cum, quemad-  
modum translatum per mancipationem dominium in  
quemcunque alium ulterius transferri, ita in vendito-  
rem restitui remancipatione quandomcunque posset, ne-  
que id obstatet perpetuitati mancipationis. Atque  
hinc ipsum Fiducia pactum in lege revendendi, appo-  
sita venditioni, agnoscit CVIACIVS b) in Rescripto  
IMP. ALEXANDRI ad Charisium: *Si fundum paren-*  
*tes tui ea lege vendiderunt: VT SIVE IPSI, SIVE HE-*  
*REDES EORVM EMPTORI PRETIVM QVAN-*  
*DOCVNQVE, VEL INTRA CERTA TEMPORA*  
*OBTVLISSENT, RESTITVERETVR.* c) Neque  
tamen perinde rectum est, quod Vir Summus imagi-  
nariam

a) L. 77. D. de Reg. Iur. 1AC. GOTHOFREDVS in Commen-  
tar. ad b. l. HOTMANVS *Quæst. Illustr. 34.*

b) Ad §. 8. Inst. de legit. Adgnat. success. Idem sentiunt, BVA-  
DAEVS Annot. ad Pand. in l. 2. §. 24. de Orig. Iur. TIR-  
QUELLVS de retractu convention. in pref. n. 39. CORASIVS  
Miscell. Iur. Civ. Lib. VI. cap. 9. QUOS HOTMANVS ad d.  
§. 8. Inst. SCHIFORDEGHER. Disput. ad ANT. FABRVM  
Lib. III. tract. 13. qu. 1. & SCHILTER de Iure Obsidum, ad  
cap. 4. §. 3. & in Tr. de pacto retrovend. c. 1. hactenus fru-  
stra notarunt.

c) L. 2. C. de pact. int. empt. & vendit.

nariam venditionem servi suis iuuminis empti *sub fide contractus*, ut manumitteretur, apud VLPIANVM, a) item, quod legem commissoriam venditioni dictam, exempla putavit emptionis fiduciariae. Si quidem neutrō casu adiicitur pactum de remancipando, a quo quidem conditionem manumittendi, itemque pactum, quo contractus emptionis tantum resolvitur, plurimum differre, nemo non videt.

## §. XL

*Mancipationum utilitas in contrahētibus, qui ad translationem dominii*

Commode subiiciemus de mancipatione locatio-  
nis conductionis causa facta, addito pacto Fiduciae. E-  
nimvero in genere id observamus, contractibus iis,  
quibus citra dominii translationem regulariter res alte-  
ri traditur, aut de tradenda re agitur, adhibitam s̄epius  
esse mancipationem, b) singularis utilitatis causa, quā  
inde

- a) L.4. §. 2. *D. de manumissionib.* Eodem quoque modo ima-  
ginariam hanc emptionem de Fiducia contrafacta minus recte  
exposuit PETR. PITHOEVIS ad Collat. LL. Mosaic. & Ro-  
man. Tit. X. §. 2.
- b) Neque vero IO. FRID. GRONOVIVS in Epist. CCCII. ad  
CLAVD. SALMASIVM in Clariss. Virorum Epistolis a  
PETR. BVRMANNO editis Tomo II. p. 549. rem acu, quod  
sibi videbatur, tetigit distingendo inter IVS MANCIPII  
& IVS NEXI, illud putans fuisse, cum res manciparetur  
domini transferendi causa, hoc, ubi negotium per as &  
libram gereretur, obligationis necunda causa. Scilicet  
hac distinctione existimavit planum fieri obscurissimum  
alias VARRONIS locum de Lingua Lat. lib. VI. c. 5. NE-  
XVM Manilius scribit, omne, quod per libram & as geri-  
tur, in quo sint mancipi. Mucius Scævola, que per as &  
libram siant, ut obligentur, praterquam, qua mancipio den-  
tur. Hoc verius esse, ipsum verbum ostendit, de quo qua-  
ritur. Nam idem, quod obligatur per libram, neque juu-  
nit, inde nexus dictum. Cuius tamen loci difficultas o-  
ptime tollitur vera lectione verborum: Quod obligatur per  
libram,

inde cum in dantem, tum in accipientem rediret. Huius quidem plurimum intererat, quod rem sibi manciparam, tanquam optimo iure dominus, ex iure Quirinum vindicare posset: illius vero commodo cedebat, quod etiam damnum, tali culpa, quæ alias ex contractu non præstaretur, imo vero, dum res periret suo domino, omne periculum præstandum esset ab accipiente. Adiecta etiam in his contractibus Fiducia id adhuc efficiebat, ut de recipienda re sua, propter famam Fiducia iudicium, tradens certior esset. In locazione conductione igitur mancipacionis usum apud Romanos perhibet vetustus lapis, qui *venditionem locatio-  
nis causa* diserte memorat: a)

C

M. LOL-

*regulari-  
ter non  
tendunt:  
speciatim  
vero in lo-  
catione  
condu-  
ctione.*

*libram, NI QVID SVVM SIT:* quæ est ipsa formula, qua mancipans de periculo iudicij, ut CICERO pro Murena c. 2. vocat, i. e. de evictione se obligabat. Factum hinc, ut traditio nexus diceretur pro mancipacione, ut apud CICERONEM in Topic. c. 28. & nexus solennitas, apud BOETHIVM in Top. CIC. III. ex CAII Institutionum lib. I. ubi ad Tit. 6. videndi ALEANDER & SCHVLTINGIUS. Add. BYNKERSHOEER de reb. mancipi, c. 1. Et sic in Legibus XII. Tabularum, tabula VI. QVVM NEXVM FACIET MAN-  
CIPIVM QVE. Etenim paria erant mancipare & nexus tra-  
dere. FESTVS in voce nexus: NEXVM est, ut ait Gal-  
lus AElius, quodcumque per æs & librum geritur, idque ne-  
cti dicitur: quo in generè sunt hac: TESTAMENTI FA-  
CTIO, NEXI DATIO, NEXI LIBERATIO. Vbi nexi da-  
tio nihil aliud est, quam ipsa mancipatio, & nisi liberatio, est  
remancipatio. Quæ vero apud eundem de nexo ære i. e.  
pecunia, quæ per nexus obligabatur, sequuntur, huc non  
pertinent, sed ad generalem nexi significationem spectant.  
Itaque mancipatio omnis fiebat alienandi & transferendi  
domini causa, licet sçpissime adhiberetur in negotiis con-  
trahendis, ubi de translatione dominii ex natura negotii  
non ageretur.

a) Apud GRVTERVM p. DCCCI. inscr. 5.

M. LOLLIUS. ARPHOCRAS  
 V. F. S. ET. PAELINAE. VXORI  
 V. ET. LIB. LIBERTAB. POST. Q  
 EORVM. M. S. S. E. H. N. S  
 NEQVE. VLLI. LIQVEBIT. LOCATIO  
 NIS. CAVSA. IN. ANNIS. CENTVM. QVAN  
 DOQ. TRANSVENDERE. QVOD. SI QVI  
 ADVERSVS. (*sic*) IT. FECERINT. EORVM  
 BONA. PERTINERE. DEBEBVNT  
 AD. REMPVBLICAM. BRVN  
 DISINORVM

Enimvero huiusmodi mancipationem monumenti, *locationis causa*, usitatam ostendit prohibicio eius in hoc lapide facta ad annos usque centum: a) sicut etiam *donationis causa* monumenta mancipari solita, in primis probat inscriptionum praeclarissimarum triga, quam in commentario ad Legem Cinciam illustravit FRID.BRVM-MERVs, b) recte admonens, alienationem monumenti, non quatenus religiosum, sed quoad purum adhuc esset, factam fuisse. c) Constat enim, non totum locum monumenti sepulcræ destinatum, sed *quatenus corpus humatum esset*, religiosum adeoque commercio exemptum esse. d)

## §. XII.

Hinc vero novam lucem dabimus marmori vetu-  
 flo, quod apud REINESIVM e) extat:

TI.

*COLVM-BARIA  
 emanci-  
 pata, i. e.  
 OLLA-  
 RIA.*

- a) Vid. GVTHERIVS de Iure Manium Lib. III. c. 5.  
 b) Comment. ad Legem Cinciam, cap. 14.  
 c) VLPIANVS in L. 6. §. 1. D. de religios. & in L. 5. §. 10. D. de  
 donat. int. vir. & ux. Et sic ius inferendi mortuum & ius  
 sepulchri, sive monumenti alienari poterat, quamvis ipsum  
 monumentum sive sepulchrum alienari non posset, d. l. 6.  
 pr. & §. 1. D. de relig. l. 14. C. de legat.  
 d) CELSVS ab VLPIANO citatus in l. 2. §. 5. D. de religios.  
 e) Inscription. class. VII. 21.

## EXERCITATIO I.

19

TI. CLAVDIO. PRIMIGENIO  
COLVMBARIA. N. III  
EMANCIPAVIT

T. FLAVIUS CORINTHVS

Neque enim COLVMBARIA in hac inscriptione sunt stationes columbarum, ut Vir Egregius explicat, insig-  
nem ex earum fecunditate quæstum VARRONIS a)  
& COLVMELLÆ b) testimoniis probans, ut ostend-  
eret, Primigenium causam habuisse augenda rei col-  
lumbaria conducere a Corintho. Sed Columbaria hic  
sunt ollaria, sive, ut alibi vocantur, schole ollarum, c)  
i.e. repositoria in hypogeo, in quibus olla certo nume-  
ro, pro diverso iure sepulchrorum, reponebantur, col-  
lumbaria dicta a similitudine, quam hi fornices & or-  
dines ollarum cum stationibus & ordinibus columba-  
riorum habebant. Confirmat id inscriptio, quam SPO-  
NIVS d) exhibet:

L. ABVCCIVS. HERMES. IN. HOC  
ORDINE. AB. IMO. AD. SVMVM  
COLVMBARIA. IX. OLLAE. XVIII  
SIBI. POSTERISQVE. SVIS

Et sexennio abhinc Romæ in via Appia detectum Co-  
lumbarium libertorum & servorum Liviae Augustæ &  
Cæsarum, in quo sex milium libertorum servorumque  
cineres reconditos ollarum numerus & tituli ollarum  
ordinibus additi loquuntur. e) Nos ex illo antiquita-  
tis splendidissimo monumento apponimus inscriptio-

C 2

nem

a) Lib. II. de re rust. c. 3.

b) Lib. IX. c. 8.

c) Apud REINESIVM Clas. XVI. Inscr. 53.

d) Miscell. Antiquit. Erudit. scđt. IX. p. 287.

e) Bibliotheca Italique, Tome IV. art. 7. et Tome VII. art. 1.

ubi FRANC. BIANCHINI, ANT. FRANCISCI GORII &  
ANT. MARIAE SALVINII de isto Columbario commen-  
tationes recensentur.

nem unam, quæ significat, servum Imp. Claudii, nomine Turannum, donasse columbarium totum Liberto eiusdem Cæsaris, Tib. Claudio Veterano, hunc vero, illius donationis virtute, intulisse cineres Ianthi, fratris fui:

TVRANNVS. VERRA. TAB. APPARITOR  
SACRIS. OMNIVM. IMMVNIS  
IS. DEDIT. TI. CLAVDIO. AVG. L. VETERANO  
COLVMBARIVM. TOTVM  
IS. INTVLIT. IANTHVM. AVG. L. FRATREM  
SVVM

### MINISTR

Equis igitur dubitet, in Reinesiano lapide Columbaria non esse alia, quam quæ ex ipsis quantivis pretii monumentis cognoscimus, præsertim cum in Sponiana inscriptione, pariter ac in illa Reinesiana, Columbariorum numerum, quem ad indicandum ius & capacitatem se-pulchorum in titulis monumentorum scribere moris erat, a) expressum videamus? Nemo etiam forsitan dubitabit, de mancipatione donationis causa, potius, quam de alia locationis causa facta, intelligendam esse illam, quam Flav. Corinthus fecisse dicitur, *emancipationem.*

### §. XIII.

*Mancipa-  
tio fidu-  
ciaria, lo-  
cationis*

Sed ad mancipationem in locatione conductione adhibitam ut revertatur: in alio lapide b) MANCEPS MONVENTI dici IAC. GVTHERIO c) videtur

CON-

---

a) Monumentis enim quia ius ollarum sive urnarum, modo plurium, modo pauciorum inhærebat, hinc apud REINESIVM Claff. XVI. 60. OLLAE SINGVLARES PERPETVAE V, Claff. ead. 53. SCHOLA OLLARVM XV. Claff. XIV. 145. OLLAE N. XXIII. & Claff. I. 240. VRAE XXIX. MARMOREAE, memorantur.

b) Apud GRUTERVM p. DCXIV. 10.

c) De Iure Manuum Lib. III. c. 7.

conductor earum rerum, quæ monumenti tutelæ cœdebant:

C. IVLIVS. DIVI. AVG. L

HILARVS

MANCEPS. HVIVS. MONIMENTI

ANTEROS. MARMOR. VEDIAN

C. IVLIVS. DIVI. AVG. L. ELAINVS

Nisi quis malit mancipem pro redemptore fartorum te-  
ctorum monumenti accipere, vel pro eo, qui illius  
principiam curam gereret. Sed vero in ista inscriptio-  
ne *manceps* videtur non alias, quam conductor operis  
monumenti faciendi. Redemptores enim aliquius ope-  
ris suo periculo illud faciendum conduxisse, sibi man-  
cipatum, addito, sicut in omnibus mancipationibus lo-  
cationis conductionis causa factis, pacto Fiducia, indi-  
cio est, quod apud PLAVTVM a) Chrysalus servus  
ait :

MEA FIDUCIA OPVS CONDVXI, & meo pe-  
riculo rem gero :

idque ibi docte animadvertis FRID. TAVBMANNVS.  
Ipsum quoque REDEMPTORVM nomen haud ali-  
unde, quam ab ista solenni mancipatione & emptione  
operis faciendi, ortum videtur, licet aliam rationem  
substituat FESTVS. b) Et hinc in Glossis vetustis est:  
*ἐκλημπτος*, conductor, exceptor: qui in aliis dicitur:  
*Redemptor*, *ἐγεράθος*. Similiter mancipes appellati  
fuerunt publicanorum principes, ab eo, quod publicos  
reditus conduxisserent. e) FESTVS: *Manceps* dicitur,

C 3

condi-  
ctionis  
causa fa-  
cta. Inde  
MANCI-  
PIS &  
REDEM-  
PTORIS  
nomina.

a) Bacchid. ACT. IV. Scen. IV. v. 110.

b) V. Redemptores : REDEMPTORES propriæ atque antiqua  
consuetudine dicebantur, qui, cum quid publice faciendum,  
aut prebendum conduixerant, efficerantque, tum denique  
pecunias accipiebant: nam antiquitus emere pro accipere  
ponebatur. At ii nunc dicuntur redemptores, qui quid con-  
duxerunt prebendum, utendumque.

c) ASCONIUS PEDIAN. IN CIC. divinat.

*qui quid a populo emit conductive, a) ut proinde ratio nominis, ab eo adiecta, quia manu sublata significat, se auctorem emptionis esse, non sit genuina, sed potius ab illa mancipacione fiducaria omnino repetenda: quare etiam, qui a viarum curatoribus vestigalia redimebant, mancipes dicti, qualis memoratur in lapide se-pulchrali : b)*

D. M. S.

CN. CORNELIO

CN. F. SAB

MVSAEO

MANCIPI. VIAE. APPIAE

Imo vero assentior Viro Praclarissimo, EV. OTTONI,  
mancipem hunc, viæ facienda conductorem, accipi-  
enti. c) Ita quoque in alia inscriptione, quam pro-  
duxit FRID. BRVMMERVS, d) occurrit *manceps*  
*officinarum aeriarum:*

P. CLAVDIVS. P. FLATV

IVSTVS

MANCIPS

OFFICINARVM

AERARIARVM

QVINQVAE

ITEM FLATVRAE

ARGENTARIAE

sicut apud GRVTERVM e) est MANCEPS OFFI-  
CINARVM FERRARIARVM, & a CICERONE f)  
redem-

a) V. *Mancips*, quem locum HOTMANVS lib. XI. obs. c. 10.  
illustret.

b) Apud GRVTERVM p. DCXXII. 2.

c) *De Tutela Viarum publicarum, Part. II. cap. 5.*

d) *Exercit. de Locat. & Conduct. c. 3. §. 5.*

e) P. CCCXXVI. 4.

f) In Bruto c. 22.

redemptores piciarum, apud SYMMACHVM a) salinarum mancipes memorantur. Sed & HYGINVS b) dixit: *Vestigalibus alii subiecti sunt per annos, alii vero mancipibus ementibus, id est, conduceatibus.*

## §. XIV.

Repudiavimus IAC. RAEVARDI opinionem de mancipiatione, hereditatis adeundæ causa, procuratori sub Fiducia fieri solita. Non magis probabitur nobis, quod idem, elegantis alioquin ingenit & doctrinæ lūrisconsultus, existimavit, procuratori mancipiationem huiusmodi factam esse, ut per eum fundus in provinciā c) venditus alteri mancipari posset, cum scilicet cum regulam iuris civilis nemini per alterum lege agere, adeoque nec mancipare per procuratorem licet. Itaque si Romæ quis publicis negotiis occupatus in longinquò municipio quodam fundum vendidisset, ut is fundus emptori mancipio daretur, minime in eum locum relictis negotiis excurrendum fuisse, sed

Mancipationis fiduciaria usus in mandato de re alteri mancipanda removetur.

potu-

a) Lib. IX. epist. 96. & Lib. X. ep. 58. Sic enim emendavit BRISTONIVS, de Verb. Signif. v. Mancipes, cum ibi legeretur, *municipes salinarum. MANCIPES SALINARVM* quoque dicuntur in l. n. C. de vestigalib;

b) Lib. II. de Limit. confit. Conf. CVIACIVS Observat. Lib. IX. c. 15.

c) At vero fundi provinciales non erant res mancipi: quomodo igitur mancipari poterant? Scilicet RAEVARDVS putavit, fundum provinciale, possidendum a civi Romano, participasse de iure civili, factumque esse rem mancipi, propter conditionem possessoris, ad LL. XII. Tabb. cap. 16. notatus eapropter a SCHVLTINGIO, ad VLPIANI Fragn. Tit. XIX. §. 1. Alia eniun rerum mobilium rati, alia immobilium: illa sequuntur personam & conditionem possessoris, non haec. In fundis tamen iuris Italici, i. e. ex privilegio iure Latii donatis utique locus erat mancipiationi. Vid. BYNKERSHOEK de reb. mancip. cap. 3. § 9.

potuisse fundum procuratori per as & libram mancipio dari , adiecta remancipationis expressa clausula , qua teneretur deinde idem procurator fundum , sibi Romæ a venditore mancipatum , in provincia emptori iterum mancipio dare . Ita enim non alieno , sed suo potius nomine lege agere procuratorem illum visum esse , qui fiduciaria eiusmodi mancipatione , & rei per venditorem mancipata dominus ex iure Quiritium , & simul ad remancipandum venditori obstrictus esset . Morem hunc putavit evidenter demonstrari ex CICERONIS quadam ad Atticum epistola , a) his verbis : *Vestorius ad me scripsit , ut iubere mancipio dari servo suo , pro mea parte , Heterio cuidam , fundum Brinnianum s ut ipse ei Puteolis recte mancipio dare posset .* Enimvero , quomodo fiduciaria mancipatio quedam hoc in loco intellegi possit , non animadvertisimus . Quodsi enim iubere mancipio dari idem est , ac mancipare , ita , ut perinde foret , sive Cicero ipse , sive alius iussu eius Romæ mancipationem fundi Brinniani perageret , anne hoc foret mancipare per procuratorem , quod iure civili non licebat ? & num servo Vestorii fundus ita potuit mancipari , ut is domino suo eum Puteolis remanciparet ? Verum nihil opus videtur his tricis . Cicero debuit Vestorii servo iubere , i. e. mandare , ut pro sua parte Heterio manciparetur fundus Brinnianus , ut ita , Cicerone auctore , Vestorius , qui , ut supra vidimus , hereditatem , in qua iste fundus erat , pro Cicerone creverat , fundum Puteolis recte , ex voluntate domini , mancipio dare posset . b) Itaque ex hoc CICERONIS loco non poterit ostendi mancipationis sub Fiducia factæ usus in mandato . Neque is forsitan poterit demonstrari ex illa necessitatis causa , quam finxit RAEVAR-

DVS:

a) Lib. XIII. epist. 50.

b) Vid. MANVTII Comment. in hanc epistolam.

DVS : quippe res immobiles absentes & alio loco sitas  
mancipari potuisse, constat ex VLPIANO, a) idemque in  
rebus mobilibus, symbolo substituto, factum aliquando  
esse, Vir illustris CORN. VAN BYNKERSHOEK b)  
acuta coniicit.

## §. XV.

In contractu depositi rem custodiae traditam  
quandoque alteri mancipatam esse addito Fiduciae pa-  
cto, indicat illud ipsum exemplum, quo BOETHIUS *Vt se quis tempus dubium timens amico potentiori fundum mancipet, ut ei, cum tempus, quod suspectum est, præterierit, reddat.* Vnde possessionem huiusmodi depositaria-  
m, GVIL. BVDAEVS d) fiduciariam possessionem ap-  
pellat. Imo vero, quia maxime in deposito contra-  
hendo, ut supra observatum, esset traditio fiduciaria usu  
Iuris Gentium cognita, factum hinc videtur, ut ipsum  
depositum Romanis *Fiducia* diceretur. In hunc enim  
sensum ANDR. TIRAVELLO e) & FRID.  
TAVBMANNVS f) recte interpretantur loca CICERO-  
NIS, g) ubi Fiducia inter contractus, qui si-  
dem requirunt exuberantem, & quorum iudicia fa-  
mosa sunt, referuntur, atque eodem modo cum tutela,  
societate & mandato coniungitur, quo depositum a lu-  
reconsultis cum his tribus coniungi solet, & sicut qua-  
tor ista iudicia, ex quibus condemnatum infamia se-

D

qui-

a) *Fragm. Tit. XIX. §. 6.*b) *De rebus mancipi, cap. 10.*c) *Comment. in Top. CIC. IV.*d) *Ad L. 2. D. de Orig. Iur. Vid. CORASIVS Mischell. Iur. Civ. Lib. VI. c. 9. n. 5.*e) *De retractu convent. in prefat. n. 40.*f) *In Commentar. ad PLAVTI Bacchid. Act. IV. Sc. 4. v. 110.*g) *Pro Roscio Comogedo, c. 6. & pro Cæcina, c. 3.*

guitur, Prætor in Edicto de his qui notantur *infamia* coniunxit. a)

## §. XVI.

*Vsus fiduciæ mancipatiōnis in pignore frequen- tissimus. Inde FIDUCIA dicta pro pignore mancipa- to.*

Nusquam vero maior & frequentior utilitas Fiducia, quam in pignore fuit, eaque effecit, ut complures Viri docti, b) speciem pignoris fuisse, fibi fallò persuaserint. Neque enim probari potest, inter creditorem & debitorem singularem aliquem Fiducia contractum quandoque celebratum esse, quod quidem significare videtur ISIDORVS, c) *Pignus & Fiduciam separans hunc in modum: PIGNVS est, quod propter rem creditam obligatur, cuius rei possessionem solam ad tempus consequitur creditor, ceterum dominium penes debitorem est.* FIDUCIA est, cum res aliqua, sumenda mutuæ pecunie gratia, vel mancipatur, vel in iure ceditur. Verum hoc loco Fiducia non aliter pro pignore, sub pacto Fiducia & remanicipandi lege creditori mancipato, dicitur, quam depositum eadem ratione Fiduciam apud CICERONEM appellari, modo observavimus: ut Fiducia non tam sit species pignoris, quam potius ab accessorio Fiducia pacto ita nominetur certa pignoris species, non simpliciter traditi, sed mancipati. Scilicet utriusque, tum creditoris, tum quoque debitoris, commodo illa pignorum fiduciaria mancipatio inventa fuit: creditoris quidem, ut posset rem oppignoratam a quounque tertio possessore vindicare, quod non poterat nudus creditor pignoratius, qui necesse habebat incumbere pignori, si vellet in re plus cautionis habere, quam in persona: d) debitoris vero in eo vertebaratur

a) L. 1. & 6. §. 5. seq. D. de his, qui not. infam.

b) Vid. supra ad §. II. not. b.

c) Lib. V. Origin. c. 2f. Ad quem locum videndæ de differen- tiis inter *Pignus, Fiduciam & Hypothecam* præstantissimæ observations GER. NOODTII Lib. II. Observat. c. 7.

d) Confer. GER. NOODT Observ. Lib. II. c. 8.

tur utilitas, quod non tantum ex pacto Fiducia certior esset de recipienda re sua, verum etiam, si minime commodum ipsi accideret, possessione rei oppignorata cedere eamque in creditorem transferre, quod posset, dominio in creditorem per mancipationem translato, possessionem pignoris, nomine creditoris, mutato titulo, atque ut conductor, aliove modo retinere, seu potius brevi manu recipere. Et fuit quidem hæc mancipandi pignoris solennitas ante ius hypothecarum a Prætoria iurisdictione inductum maxime necessaria, ac proinde frequentissima, nec tamen postea usus eius cessavit, a) quem ad IVSTINIANI Imp. tempora perdurasse infra demonstrabitur. Ab hoc frequentiore Fiducia in pignoribus usu, sicuti pignoris contractus, cui mancipatio accesserat, per eminentiam vocabatur *Fiducia*, ita ipsa res hoc modo mancipata eodem nomine appellata fuit: plane sicut *mutuum, commodatum, depositum, pignus & pro contractibus, & pro ipsis rebus in contractus hosce venientibus Iurisconsulti dixerunt.* Hinc res eum in morem oppignorata, *res fiduciata, item fiduciaria,* b) servus ita oppignoratus, *fiduciarius PAVLO* c) vocatur: imo verbum *fiduciare* inde efformatum, quod in marmore apud GRYTERVM d) legitur:

DIS MANIBV

M. VLPIVS. AVG. LIB. SYMPHOR  
FLATVRARIVS. AVRI. ET. ARGENTI. MONETAR  
D 2 SIBI.

- 
- a) Vid. IAC. GOTHOFREDVS ad L. un. C. Tb. de *Commisso-*  
*ria refind.* p. 253.
  - b) Apud PAVLVM *Sent. Recept. Lib. II. Tit. 13. §. 7.* quam-  
vis ibi *fiduciata* potius legendum esse, velit SALMASIVS,  
de modo *Vsurarum* c. 4. Vid. SCHVLTING. *Iurisprud.*  
*Ante - Justin.* p. 284. § 286.
  - c) *Sent. Rec. I. c. §. 2.*
  - d) *Pag. DCXXXVIII. 4.*

SIBI. ET. VLPiae. HELPIDI. QVAE. ET. CLAUDIA. LIB  
ET. VXORI. SVA  
VLPiae. ARSINOE. FILIAE. ET. CLAUDIO. ANTHIOCIANO  
FILIO. HELPIDIS. LIB. SVAE. FECIT. ET  
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. VTRIVSQVE. SEXVS  
QVI. EX. FAMILIA. MEI. ERVNT. RELIQVIARVM. SVARVM  
CONDENDARVM. CAVSA. ET. POSTERISQUE  
EORVM. QVI. IN NOMINE. MEO. PERMANSERINT  
EA. CONDITIONE. NE. FIDUCIENT. NE. VENDANT.  
NEVE. ALIO. QVO. GENERE. ID SEPVLCRVM. SIVE  
MONVMENTVM. EST. ALIENARE. VIII. POTESTAS. SIT

H. M. H. N. S.

idemque apud TERTULLIANVM a) & in Glossis  
vetustis b) occurrit: inde verbum *infiduciare* in Leges  
Longobardorum c) quoque translatum.

### S. XVII.

Itaque in celeberrimo hoc pignoris genere domini-  
nium rei oppigneratae statim per mancipacionem trans-  
latum esse in creditorem, cum ipsa mancipacionis natu-  
ra ostendit, tum ex ipsis effectibus dominii, quos  
PAVLVS recensuit, manifestum est. Enimvero cre-  
ditor ius acquirendi habebat per servum sub Fiducia  
mancipatum: d) debitor creditori Fiduciam, i. e. pi-  
gnus fiduciarum vendere non poterat, sed aliis, si vel-  
let, poterat; e) quia, quod creditoris in dominio iam  
esset per mancipacionem, amplius eius fieri non posset,

nec

- 
- a) *Lib. de Idololatria.*  
 b) Gloss. Lat. Græcæ: *Fiduciatus*, ὑποτίθεμος, *Fiduciatus*,  
*ὑποτίθεται*. Vid. DV FRESNE *Glossar. med. & inf. Latin.*  
*v. Fiducia.*  
 c) De quibus dicetur in Exercitatione II.  
 d) PAVLVS *Sent. Recept. Lib. II. Tit. 13. §. 2.*  
 e) *Ibidem, §. 3.*

nec suæ rei emptio confisteret. a) Porro, debitor licet solveret, ipso iure tamen res fiduciata ad eum non revertebatur, sed ex pacto Fiducia tunc erat ei remancipa-  
panda. b) Creditor rem Fiducia sibi datam uni ex heredibus, aut extraneo legare poterat: c) id vero debitor non poterat, & ne quidem appellatione rerum, vel servorum aut ancillarum, quas legaverit, contineban-  
tur, quos Fiducia dedisset. d) Denique Fiduciam per-  
sequi & privata auctoritate vindicare creditor non pro-  
hibebatur: e) quoniam dominus sine dolo malo rem  
suam rapiendo ne quidem incidebat in actionem vi ba-  
norum raptorum. f)

## S. XVIII.

Et hæc quidem pignus sub Fiducia mancipatum satis aperte distingunt a pignore tantum tradiro, nec manci-  
pato, quippe quod manet in dominio debitoris, g) adeo-  
que per servum oppignoratum acquiritur debitori, non creditori: h) debitor quoque nudum pignus creditoris  
vendere potest: i) & pignus ipso iure per solutionem de-  
biti liberatur. k) Sed quia Fiducia pactum, pignori man-  
cipatio adiectum, necessitatem pignus remancipandi, pe-  
cunia soluta, creditori imponebat: hinc, resoluto per re-  
mancipationem dominii iure, creditor ad omne id, quod

D 3

Differen-  
tie inter  
pignus  
nudum &  
sub Fidu-  
cia man-  
cipatum:  
& in qui-  
bus u-  
trumque  
ex pignus  
convenit.

- a) L. 16. D. § L. 4. C. de contr. empt.
- b) PAVLVS loc. cit. §. 3.
- c) Idem l. c. §. 6.
- d) Idem Lib. III. Sent. Rec. Tit. 6. §. 69. quem locum IAC.  
GOTHOFREDVS ad l. un. C. Th. de Commiffor. refcind. mi-  
nis recte intellexit de ancillis a creditore legatis.
- e) PAVLVS Sent. Recept. Lib. V. Tit. 26. §. 4.
- f) L. 2. §. 18. D. vi honor. raptor.
- g) L. 35. §. 1. D. de pignerat. act. L. 9. C. cod.
- h) L. 1. § 2. C. de pigner. act. L. 2. C. de partu pignor. & omni  
causa.
- i) L. 12. pr. D. de diftract. pignor. L. 9. pr. D. quib. mod. pign.
- k) L. 1. pr. L. 6. D. quib. mod. pign. L. 19. C. de usur.

ex contractu pignoris ab alio creditore prestandum tenebatur. Atque hinc illa fiduciario pignori cum mundo pignore communia proveniunt: scilicet, ut debitor, *Fiduciis*, ut, PAVLVS ait, *a creditore distractis*, de superfluo adversus eum habeat actionem, a) deinde, ut non solvente debitore, qui pepigit cum creditore, ne Fiduciam vendere liceret, solenni aquae trina denuntiatione facta, distractio sulcipi queat, b) utque, si creditor quid utiliter in pignus fiduciarium impenderit, actione contraria debitorem obnoxium habeat, c) item ut testator, si rem a se legatam postea Fiducia det, non magis voluntatem suam mutata videatur, quam si pignori dedisset. d)

## S. XIX.

Atque hanc singula cum in PAULI Sententiarum Receptarum Libris perspicue tradantur, id unum haud satis expeditum est, quod idem PAVLVS ait: e) *Quicquid creditor per fiduciarium servum quæstivit, sortem debiti minuit.* Enimvero propter hanc verba incongruum id in primis viñum quandam Illustri Viro CHRIST. THOMASIO, f) quod in fiduciaria pignoris mancipatione, ex sententia IAC. GOTHOFREDI g), statim ab initio translatum esset dominium, nec tamen creditor consecutus esset ius ex re sibi mancipata fructus suos faciendi: quippe fructus ex pignore fiduciario percepti in sortem fuerint imputati. Evidem, quod tollenda huius difficultatis causa dixit laudatus modo GO-

*Acquisita  
per ser-  
vum fidu-  
ciarium  
quatenus  
sortem  
debiti  
minue-  
rint?*

THO-

a) PAVLVS Sent. Recpt. Lib. II. Tit. 13. §. 1.

b) Ibid. §. 5.

c) Ibidem, §. 7.

d) PAVLVS Sent. Rec. Lib. III. Tit. 6. §. 16.

e) Lib. II. Tit. 13. §. 2.

f) In *Dissert. de usu pratico accurate distinctionis inter emptionem cum pacto de retrovend. & contractum pignoratum*, Cap. 2. §. 21.g) *Ad L. m. C. Th. de Commissor, rescind. p. 253.*

**THOFREDVS**, creditorem utique dominum Fiduciæ fuisse, sed non *proprie*, perfecte & incommutabiliter; ut-pote dominio translato, at non & ab alienato prorsus: id, si fatendum quod res est, parum accurate dicitur, & vere **T H O M A S I V S** monuit, *dominium improprie dī-  
etum, plane dominium non esse*: neque eiusmodi dominium, improprie appellatum, consistere potest cum domino illo civili & perfecto iuris Quiritium, quod transferebatur per mancipationem. Itaque, pace Viro-rum Doctorum, qui **G O T H O F R E D O** assensum dede-  
runt, alia verborum istorum quærenda erit interpreta-  
tio. Nimirum primo existimandum est, **P A V L V M** lo-  
qui de pignore in securitatem *pecuniae non gratuita*e, id  
est usurariae, creditori mancipato, a) quo casu sicut an-  
tichresis in pignore contrahi non videtur, ne tacite  
quidem, sed creditor, tradito v. c. agro, fructus percipi-  
pere, & perceptos primum usuris, deinde sorti impu-  
tare debet, b) ita idem obtinebat in agro fiduciato,  
quia, resoluto per remancipationem iure dominii, cre-  
ditor ad præstationes ex ipso contractu pignoris, ut  
paulo ante monitum, obligatus erat: neque adeo pro-  
priam dominii naturam auferit id, quod resoluto do-  
minii iure demum locum habet, quemadmodum nec  
improprium dominium est, quod est temporarium  
& revocabile. Deinde, si ponamus, debitorem usum  
esse gratuita pecunia, poterat creditor tunc, quod  
**PAVL V** codem loco docuit, c) de fructibus rei fi-  
ducia-

a) Idque suadet *lex 8. D. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. con-  
trah.* Cum debitor gratuita pecunia utatur, potest creditor de  
fructibus rei sibi pignorate ad modum legitimum usuras re-  
tinere: quæ verba desumta sunt ex eodem Titulo Senten-  
tiarum, quem modo citavimus, & sententiam hanc, qua  
de agimus, proxime præcesserunt.

b) *L. 2. C. de partu pign.* Vid. NOODT *de seniore & usuris Lib. II.  
cap. 9.*

c) *dicit. l. 8. D. in quib. caus. pign.*

## DE PACTO FIDUCIAE

32

duciatæ ad modum legitimum usuras retinere, cum tamen  
cite constituta *avvixenit* intelligeretur: a) sed vero,  
quod circa fructus iuris erat, non erat proferendum ad  
reliquas, quæ iure dominii fierent, acquisitiones: quippe  
quod extra duas illas causas, quod scilicet neque ex re  
creditoris neque ex operis servi acquireretur, non refe-  
rendum erat ad fructus: b) ac proinde si servus fiducia-  
tus heres institutus, legatumve quid ei, aut donatum fuerit,  
qua hoc modo per fiduciatum servum creditor quæ-  
sivisset, ipsam sortem debiti minuebant. Quin & hoc ad-  
dendum est, utcunque creditor fiduciarius pignus sibi  
manciparum non tenuerit pleno, quod ad fructus reti-  
nendos, dominii iure, tenuisse tamen eum nihilominus  
vero dominii iure, in reliquis dominii, quos enumeravi-  
mus, effectibus spectando, atque, uti par est, estimando  
ex intentione contrahentium & ratione civili, propter  
quam fiduciaria mancipatio adhibenda fuerat.

## §. XX.

*Fiducia,  
i. e. pi-  
gnus fi-  
duciatum  
secernitur  
ab hypo-  
theca &  
lege com-  
missoria  
pigno-  
rum.*

His ita constitutis, appetat, plurimum a vero ab-  
errasse CLAVD. SALMASIVM c) &, qui eum sequi-  
tur, ARN. VINNIVM, d) dum putarunt, Fiduciām  
nihil aliud esse, quam hypothecam, atque veteres Iu-  
risconsultos, ut Græco vocabulo abstinerent, semper  
Fiduciām dixisse pro hypotheca, quam TRIBONIANI  
manus in Pandectis ubique reposuerit. Quid? anne il-  
los ISIDORVS alia omnia docere potuit, loco supra in  
medium prolato, postquam Pignus & Fiduciām descri-  
psit, ut porro differentiam Hypothecæ ab utroque pi-  
gnore, nudo & sub Fiducia mancipato, definiret, subii-  
ciens :

- 
- a) Adeoque non semper antichresin continet Fiducia, quamvis ita existimaverit MORNACIVS ad *L. n. pr. D. de pignorib. & hypoth.*
  - b) §. 4. *Infl. per quas pers. cuiq. acqu. L. 21. seq. D. de usfruct.*  
*L. 10. §. 3. D. de acqu. rer. dom.*
  - c) *De modo usfrarum c. 13.*
  - d) *Commentar. ad Infl. tit. de Actionib. §. 7. n. 10.*

ciens: *Hypotheca est, cum res aliqua cominodatur a) si-  
ne depositione pignoris, b) pacto vel conventione sola in-  
terveniente.* Et num illa omnia, qua PAVLVS tra-  
didit de effectibus dominii in pignore fiduciario per  
mancipationem translati, quæ pacto hypothecæ, salvis  
Iuris principiis, applicari nequeunt, si non SALMA-  
SIVM, at VINNIVM tamen convincere non debu-  
erunt, Fiduciam esse aliquid ab hypotheca omnino  
diversum? utique post SALMASI argutias a IACOBO  
GOTHOFREDO tam præclare discussas. c) Deinde  
vero fecernenda omnino est Fiducia pignoribus adiecta,  
a Lege Commissoria, quacum illam CVIACIVS d) alii-  
que Viri Eruditi auctoritate tanti Viri, ut sit, commoti  
miscuerunt. Etenim titulus quidem illius capitis, quo  
PAVLVS in Libris Sententiarum Receptarum de Fidu-  
cia & de Pignore tractat, inscriptus est de Lege Com-  
missoria, & CICERO mentionem facit talis Fiducia le-  
ge commissoria data: e) sed in toto isto capite nullum

E con-

- a) Pro hoc verbo NOODTIVS Lib. II. Observ. c. 7. legit: obli-  
gatur, uti dicitur l. 4. D. de pignor. aut: comodatur. Forsi-  
tan legendum est: res aliqua comodatur, id est, accom-  
modatur, adhibetur, interponitur, quo sensu accommodare  
frequentissime dici solet. Vid. BRISSON. de Verb. Signif. v.  
Accommodare.
- b) Et sic depositum pignus, i. e. traditum, dicitur apud PAVLVM  
Sent. Recept. Lib. II. Tit. 4. in rubrica & Tit. 5. §. 1.
- c) Ad L. un. C. Th. de Commissor. rescind. p. 254. Et 257. ubi se-  
decim errores in hoc argumento a SALMASIO commissos  
notat.
- d) Ad PAVLI Sent. Recept. Lib. II. Tit. 13. rubric.
- e) CICERO in Orat. pro Flacco, c. 21. Pecuniam adolescentulo  
grandi seniore, fiducia tamen accepta, occupavisti. Hanc  
fiduciam commissam tibi tenes hodie ac possides. Ad quem  
locum admodum varie sunt interpretum sententiae. RAE-  
VARDVS de Auctorit. Prud. c. 5. fiduciam commissam, expli-  
cat, fiducia alterius creditam, neque, mentionem legis  
com-

conspicitur legis commissoria vestigium : exemplum autem a TULLIO relatum docet, legem illam sive pactum, ut, non soluta ad diem pecunia, res creditoris pleno & perpetuo iure acquireretur, nonnunquam Fiducia, similiter ac hypothecæ, a) superadditum esse. Neque tamen hinc sequitur, neque ulla veterum auctoritate probari poterit, Fiduciam semper continuisse legem commissoriam: quin contrarium evincit, quod apud PAVLVM dicitur, *creditorem distrahere fiducias & de superfluo teneri debitori*, b) quod cum lege commissoria stare prorsus non potest: atque omnia illa, quæ de effectibus domini in creditorem fiduciarium translati disperavimus, satis evincunt, creditorem factum esse dominum pignoris ab initio statim, non postea demum ex vi legis & conventionis commissoriarum.

## §. XXI.

*Vsus Fiducie in CESSIONE IN IVRE vindicatur.*

Hactenus de usu Fiduciae in mancipatione, circa intentionem perpetuo rem abalienandi, variis negotiis civilibus adhibita. Consequens est, ut de cessione in iure etiam dispiciamus, an, & quam ob rationem Fiducia in illa eodem modo, quo in mancipatione, aliquando interponi solita? Equidem testimonium eius rei ex omni antiquitate nullum habemus, præter unum illud, quod ISIDORVS nobis servavit, loco supra iam

*commissorie* hic fieri, admittit: eamque explicationem sequitur GASP. SCHIFORDEGHERVS *Disput. Forens. Lib. III Tr. 13. qu. 2.*

a) Quod constat ex CICERONIS Epistolar. Famil. Lib. XIII. epist. 56. Philotes Alabandensis *viro Ætinaç Cluvio dedit. Haec commissa sunt. Cures velim, ut aut de hypothecis decedat, easque procuratoribus Cluvii tradat, aut pecuniam solvat.* Ex hoc igitur loco frustra colligit SALMASIVS, quia hypothecæ commissa dicantur, Fiducia vero semper contineat legem commissoriam, ergo Fiduciam esse hypothecam rerum immobilium.

b) *Sent. Recept. Lib. II. Tit. 13. §. 1.*

iam adscripto: a) FIDUCIA est, cum res aliqua, sumenda pecunie mutuae gratia, vel mancipatur, VEL IN IURE CEDITVR. Quapropter SALMASIVS b) verba postrema aut emendanda, & legendum: VEL PIGNORE CEDITVR, aut intelligendam esse ait cessionem bonorum, quam in iure facere possint debitores obserati, simul reprehendens FR. HOTMANVM, qui de cessione in iure, dominii transferendi causâ, ISIDORI verba accepit. c) At vero SALMASIVM rationem fugere, neque cessioni bonorum cum cessione in iure, qua fiat mutua pecunia sumenda causâ, quidquam commune esse, post IAC. GOTHOFREDVM d) ostendit V. CL. ANT. SCHVLTINGIVS. e) Nullam quoque idoneam causam habet SCHIFORDEGHHERVS, quare ISIDORO fidem in isto loco derogare velit, f) quando monet, PAVLVM solius mancipationis, non item cessionis in iure mentionem facere, imo vero ad effectum dominii in debitorem restituendi remancipationem requirere, sed in iure cessioni addi solitam remancipationis clausulam, apud Auctores veteres non observari. Enimvero titulus iste PAULI parum integer, & ab ANIANO truncatus, ne quidem vera inscriptione retenta, ad nos pervenit: cumque cessionis in iure, tanquam suis temporibus non amplius usitatâ, mentionem, præterquam in Fragmentis VLPIANI, g) ubique sustulerit Epitomator ille, an potius corruptor dicendus? & ne quidem in CAII Institutionibus extare passus sit insignem illam descriptionem, quam nunc BOETHIO a) acceptam feri-

E 2

- 
- a) Vid. supra §. XVI.
  - b) De modo usurarum, c. 13.
  - c) Epit. Tit. D. de pignor. & hypoth.
  - d) Ad L. un. C. Th. de Commissor. rescind. p. 254.
  - e) In Iurisprud. Ante-Iustin. p. 283.
  - f) Disput. For. Lib. III. Tract. 13. qu. 2.
  - g) Tit. XIX. §. 9. sequ.
  - h) Commentar. in Topic. cie. lib. III.

## 36 DE PACTO FIDUCIAE EXERCIT. I.

ferimus: quis dubitet ea, quæ de pignoris cessione in iure apud PAVLVM dicta essent, pariter ab illo deleta esse? Nam, quia mancipatio tantum in rebus mancipi locum habere poterat, communis utilitas poposcit omnino, ut in rebus nec mancipi promiscuus ille res mancipi & nec mancipi alienandi modus, in iure cesso, adhiberetur. Neque in hac quidem pactum de remanicipando, quod utique requirit mancipationem præcedentem, sed tamen pactum de restituendo deque iterum cedendo in iure interponi, adeoque Fiducia contrahi potuit, cui principium iuris civilis, *in iure cessionem non posse fieri sub conditione vel in diem*, haud magis obstat, quam illud mancipationi sub lege remanicipandi recte facienda obstat, supra vidimus. a) Atque, rationibus ita subductis, evanescit etiam impedimentum, quod in servitutibus urbanis, quo minus pignori contracta Fiducia dari possent, animadvertisit E.M. MERILLIVS: b) nimirum, quia essent urbanæ servitutes res nec mancipi, adeoque non possent mancipari. Et recte respondit M. AVR. GALVANVS, c) non valere banc illationem: *Servitus urbana erat nec mancipi; ergo non poterat fiduciari: quoniam Fiducia non solum per mancipationem, sed etiam per cessionem in iure inducebatur.* Cessio autem in iure habebat locum etiam in rebus nec mancipi & speciarum in rebus incorporalibus: Ergo & in servitutibus urbanis. Sed merebitur hæc controversia dispectionem paulo diligenter in Exercitatione, quam propediem dabimus, altera, ubi Formulam & Iudicium Fiducia illustrabimus, tum vero vestigia Fiducia, in IVSTINIANA IVRIS COLLECTIONE reliqua, consecutabimur.

a) §. X.

b) Observat. Lib. VI. cap. 4.

c) Dissertat. var. de Vfusfructu cap. 39. §. 10. sequit.

Helmstadt, Diss; 1732-33




3

f

5b.

VD 18



### Farbkarte #13



B.I.G.  
E  
IDVCIAE  
TATIO I.  
AM  
SIDE  
AROLO CONRADI  
A PROF. PVBL. IVR.  
DIN.  
MAIORI  
TI MDCCXXXII.  
VBLICE PROPONET  
NEDICTVS KVBEL  
ADIENSIS.

TADII,  
ERICI SCHNORRII,  
YPOGR.